

templatiua ⁊ afflictiua. **A**ctiua vita secundū
 bedam est primo quidem ab omni hoc secu
 lo immaculatum seipsum custodire. mentes
 manum linguam et cetera mēbra corporis
 ab omni inquinamento culpe continere de
 inde exteriorē hominem iustis insistere la
 boribus ac diuinis perpetuo se subiugare
 fructibus. Deinde etiam proximis in necessitati
 bus iuxta vires succurrere ac operibus mi
 sericordie fideliter insistere. **V**ita autē contē
 platiua vt idem Beda ait est cum quis lon
 go bone actionis exercicio edoctus ⁊ diuine
 orationis dulcedine instructus crebra lacri
 marum compunctio ue assuefactus a cun
 ctis mundi negocijs vacare ⁊ in sola dei di
 lectione oculum mentis infigere didicerit
 gaudiumq; perpetue beatitudinis quod in
 futura percipitur est vita etiam in presen
 ti ceperit ardentē desiderare ⁊ desiderando
 preguſtare. vita vero afflictiua est tribulatio
 vel ppter peccatorum purgationem vel boni
 promotionem a deo nobis inflata. **H**
Huic triplici vite sunt tria libamina adiun
 genda. vt predicta triplex vita per tria liba
 mina offeratur. **V**ita enim actiua per fide
 litatem. **V**ita vero contemplatiua per hu
 militatem. vita autem afflictiua per hylari
 tatem tanq; domino offerantur. **P**rimo di
 co vita actiua debet fideliter dispensari vt in
 ea nihil intendatur. nihil queratur nisi dei
 gloria ⁊ utilitas proximorum de quo beatus.
Reuera fidelis es famulus si de omni gra
 tia transeunte ex te nihil tuis manibus ad
 herere contingat. **S**ecundo vita contem
 platiua debet humiliter ociari. vt quantū li
 bet in ea proficiamus non tamen se nobis
 nisi humiliter sentiamus. oportet namq; vt
 ait beatus. **H**umiliter sentire de se nitentē ad
 altiora. ne dum supra se attollitur cadat ni
 si in se firmiter per veram humilitatem fue
 rit solidatus quia nisi humilitatis merito
 maxima minime obtinentur. **T**ercia vita af
 flictiua debet inter se ⁊ deum hylariter sus
 ferri. quod faciebat paulus cum dicebat.
Superabundo gaudio in omni tribulatioe
 quod etiam nobis consulit **J**acobus dices.
Omnne gaudium erisimate fratres cum in
 varias incidetis temptaciones. **E**t quia

omnis vita meritoria ⁊ deo accepta in hac
 triplici differentia est inclusa. vt non sit vi
 ta aliqua preter illas. ideo vnusquisq; dili
 genter consideret in qua consistat coraz deo
 ⁊ illam cum suis proprijs libaminibus of
 ferat. ⁊ sic erit grata domino ⁊ accepta. quod
 sub alijs verbis in lege precipitur cū deute
 r. xvi. dicitur. **I**uste quod iustum est exqua
 ris. **N**am in eo quod dicit iustum tangit ob
 sequium. in ea autē q̄ dicit iuste tangit liba
 men quia eius valor ⁊ acceptabilitas confi
 stit in libamine. ⁊ hoc est q̄ alijs verbis dici
 tur q̄ plus meremur aduerbjs quā nomi
 nibus cui consonat **G**regorius dices **C**or ⁊
 non substantiam pensat deus. nec perpendit
 quantum in eius sacrificio sed ex quanto of
 feratur. **N**ec si dicat. **N**on considerat deus
 quid offeratur sed cum quali libamine pre
 sentetur. **H**ec ergo sunt sacrificia que cum su
 is libaminibus oblata suauissimum odo
 rem sicut in lege dicitur dabunt deo. **U**n
 de numeri. xxiij. enumeratis holocaustis
 subiungitur. ⁊ erit in odorem suauissimum
 domino qui surget de holocaustis ⁊ de obla
 tionibus singulorum multo magis de his
 que hic dicta sunt que sunt veritas predico
 rum surgit odor suauissimus domino. **Q**uo
 nobis.

LXXXVII.

De sancto mibabel.

Habeto formaz
 nostram **P**hilippen. tercio.
Ecce **C**um secundum **G**re
 gorium ruina angelorum per beatos homi
 nes debeat restaurari dignum est ⁊ conso
 num rationi vt qui ad eorum consortia sūt
 vocati. ipsorum mores ⁊ virtutes discat quā
 tum possibile est in regione dissimilitudi
 nis imitari. propter quod verbum propo
 situm ex persona angelorum nobis proponi
 tur. ac si dicere videantur. **S**i iuxta vocati
 onem vestram societatem nostram perueni
 re cupitis. discite iam in terris quomodo no
 biscum in celis viuere debeatis. **P**ropter
 quod sciendum q̄ angeli dei quatuor habēt
 exercicia formam sui status in celo exprime

tria scilicet inter se. infra se. extra se. supra se.
Si ergo ad ipsorum exhortationem per for-
 mam eorum vitam nostram vestire cupimus
 ipsos in hac forma quadruplici imitemur.
Habent autem angeli sancti intra se tria bo-
 na scilicet puritatem: simplicitatem: incon-
 uertibilitatem que tria ante omnia acquiramus
Nam de ipsorum puritate dicit Damascene.
Angeli sunt quedam lumina transparentia
 ex primo lumine lumen habentia. nec lin-
 gua nec auribus indigentia: sine sermone vo-
 luntates suas sibi mutuo exprimentia. **D**e
 secundo dicit augustinus. Angelus quia spiri-
 tus est simplex est et tanto simplicior quanto
 ab omni corpulenta materia remotior. **D**e
 his duobus dicit dyonysius. **E**ssentia an-
 gelorum est simplex et pura. **T**ercium patet
 ex secundo. **Q**uod enim simplex est quocumque
 se conuertit totaliter se conuertit. **U**nde au-
 gustinus dicit. quod natura spiritualis tantum
 semel vertibilis est nisi ex vnione vnus cum
 alio. sicut patet in anima que quamdiu est
 in corpore potest mutari et conuerti de bono
 in malum et econuerso. soluta vero non. **S**i
 ergo volumus angelos imitari induendo
 formam ipsorum oportet nos predicta tria
 in nobis hoc est in vita nostra plantare.
Primo ergo plantemus in nobis purita-
 tem ad quam duo sunt necessaria scilicet pe-
 nitentia et resistentia. **P**enitentia per quam
 commissa exhauriamus. **R**esistentia per quam
 committenda caueamus. **N**am de primo di-
 citur **Leui. xvi.** In hac die ab omnibus pec-
 catis vestris mundabimini scilicet per peni-
 tentiam. **M**emorabiliter autem di. in hac die
 qua peccastis. quia nulla mora nobis conce-
 ditur in peccatis. **D**inc pro uerbis secundo.
Non sapiens exhauriet illud scilicet pecca-
 tum quia ut ait **A**postolus. modicum fer-
 mentum totam massam corrumpit. **D**e se-
 cunda scilicet resistentia. **iiij. Re. iij.** dicit.
Cunctos fontes aquarum obturabitis se-
 per resistentiam. sensus nostros fontes vo-
 cans per quos tanquam per fontes sordes
 malarum affectionum in sentina conscien-
 tie nostre fluunt. **S**ecundo plante-
 mus in nobis simplicitatem ut etiam in hoc
 scis angelis conformemur quam tunc con-

sequimur si omnes sensus nostros exterior-
 res. omnes affectiones interiores. et omne
 quod sumus sine plica retardante ad domi-
 num conuertamus ut omnia que per qua-
 lemcumque noticiam sensuum vel affectionum
 nobis obijciuntur simplici intuitu discerna-
 mus et in bonum accipiamus unde augus-
Anima simplex obtractare non nouit. nesci-
 ens inuidere suo contentus aliena non que-
 rit et si egeat diues tamen sibi videtur. et ideo
 omnis anima simplex benedicta est. **T**ercio
 plantemus cum angelis in nobis inconuer-
 tibilitatem hoc est ut nunquam ad momen-
 tum propter alicuius rei appetitum a domi-
 no auertamur. sed continuo et sine omni me-
 dio semper domino adhaeramus et nunquam
 peccatum mortale per quod auertimur com-
 mittamus. **D**e qua adhesionem dicit Augu-
 stinus. **A** deo non auertimur si eius man-
 data non respuiimus ipsum non obliuiscamur
 nec voluptatibus indulgemus. **I**dem.
Qui adheret domino renunciet mundo po-
 steriora obliuiscitur. ad priora se extendit ut
 perueniat ad brauium quod est insigne vi-
 ctorie. et hi sunt de quibus dicitur quod dies
 pleni inuenientur in eis qui nunquam ad
 momentum a domino recesserunt. **C**
Secundo angeli sancti tria inferioribus
 exhibent scilicet compassionem exhortatio-
 nem. promotionem. **N**am de primo dicitur
Pla. Angeli pacis amare stebunt. de secun-
 do dicit bernardus. Angelus in omni loco
 sedulus pedisequus anime non cessat soli-
 citate eam et assiduis suggestionibus com-
 monere. **D**e tercio iterum bernardus. **D**iscu-
 runt angeli medij inter nos et deum fidelissi-
 me portantes nostros gemitus ad deum et
 illius nobis gratiam deuotissime reportan-
 tes. **N**os igitur cupientes angelos imitari
 predicca tria scilicet compassionem. exhor-
 tationem. promotionem. cordis. oris et ope-
 ris nostris inferioribus exhibeamus. **I**nfe-
 riores autem in nostros dicimus non conditi-
 one nature sed qui minus habentes nostro
 indigent auxilio vel fauore. **P**rimo ergo no-
 stris inferioribus exhibeamus cordis com-
 passionem omnes eorum molestias pau-
 pertates et miserias tanquam proprias con-

Volentes hoc debitum exhibuit pauperibus iob cum dicebat. *Companiebat anima mea pauperi.* Nec minus apostolus. qui dicebat *Quis infirmatur et ego non infirmor. quis scandalizatur et ego non vroz.* Et iterum *Fratres quoniam moror pro gloria vestra et itez.* *Lugebam multos ex his qui ante peccauerunt et non egerunt penitentiaz super impudicijs quas gesserunt.* Hunc affectum compassionis preterit bern. alijs deuotionu generibus di. *Multe miserie collecte atq; oculo pietatis inspecte. ipse sunt species ex quibus vngenta optima componuntur. dicunt autem ideo optima. quia omnium passionum merita faciunt sua. nec immerito quia sepe contingit vt compassio patientez plus torqueat quam passio patientem.* Verum quia cordis compassio si in opus potu erit non procedit minus habere conuincitur. ideo post illam compassionem sequatur oris exhortatio. vt eis quibus compatimur exhortationis verba fideliter exhibeamus. **S**ecundo ergo his qui vel ignorantia vel simplicitate inferiores nobis sunt. exhortationis beneficium vt in melius proficiant impendamus exhortantes singulos vt pro qualitate statui in melius proficiant peccatores vt resipiscant. bonos vt proficiant. tribulatos vt viriliter sufferant imitantes thobiam de quo dicitur *Thobie. i.* *Pergebat thobias per omnes qui erant in captiuitate et monita salutis eis dabat. vt de vobis dici valeat illud ij. *Mat. xv.* Singulos armauit non clipei vel haste munitione. sed sermonibus optimis et exhortatione.* Grego. vnusquisq; nostrum si in quantum sufficit a prauitate proximam reuocat si exhortari ad bene viuendum curat. si eternum regnum vel supplicium erranti denunciat cum verba sancte denunciationis impendit profecto angelus existit. Verum quia dicit ioban. *Filioli mei. non diligamus verbo nec lingua tantum sed opere et veritate. ideo vt de contingentibus nihil penitus obmittamus de verbis ad opera procedamus.* Tercio ergo nostris inferioribus impendamus operis exhibitionez adiuuantes eos consilio et auxilio et in omnibus quibus possumus eos promouere.

Nunc eis victualia ministrantes a periculis mumentes. a tyrannorum potestantibus defendentes apud deum pro eis intercedentes et in omnibus quibus possumus misericorditer adiuuantes. ante omnia opera misericordie secundum singulorum indigentiam misericorditer eis exhibentes. qui sunt pascere esurientem. potare sitientem. vestire algentem. hospitare peregrinantem. visitare languentem consolari in carcere existentem. sepelire morientem. que tanguntur *Esa. lviij. vbi dicitur.* *Frangite esuri. pa. tu. aperiuntur autem.* *Mat. xv.* breuiter autem tanguntur in hoc versu *Visito poto et ibo redimo te go colligo condo.* *Visito languentem. poto sitientem cibo esurientem. redimo in carcere iacentem te go algentem. colligo exultantem. condo morientem.* **T**ercio angeli sancti tria exercitia mutuo sibi exhibent inter se. *Viuent enim inter se ordinaliter socialiter et humiliter.* **P**rimo dicuntur inter se ordinaliter quia vnusquisq; in suo ordine et officio perpetuo perseuerat ab illo ad momentum temporis non recedentes. vnde *Dyon. ait.* *Non est pbas vt quis operari presumat quod ad suum ordinem vel officium non spectat.* **S**ecundo viuunt socialiter hoc est amicitia liter et pacifice ita vt qui preest non superbiat et qui subest non inuideat. **T**ercio viuunt humiliter. quia inferiores obediunt superioribus sine rancore et superiores precipiunt inferioribus sine fastu sed in amore. **S**i ergo cupimus in eorum consortio deputari in predicis tribus ipsos deuotissime imitemur. **P**rimo ergo studeamus viuere ordinaliter summo conamine ad hoc laborantes vt in eum statum et ordinem quo creati fuimus reuertamur. sic autem creati fuimus vt mediū statum tenentes omni creature dominemur. omnia sub pedibus conculcantes et solum deum supra nos veneremur nam de primo dicitur in ps *Omnia subiecisti sub pe. et. de. ij. Mat. iij.* *Dominus deum tuum adorabis et illi soli seruias. ordini nostro tam solcite adherentes vt nullum de proximis nostris in suo ordine perturbemus sed personam res honorem et famam et omnia que eius sunt nunquam in offensam eius*

contingamus ne maledictionem domini incurramus deuter. xvij. ubi dicitur. **V**ale dicitur qui transfert terminos proximi sui. Item tunc etiam ordinaliter viuimus. si unusquisque statum et ordinem in quo vocatus est seruat et custodiat fideliter non declinans ad dextram nec sinistram ut qui in matrimonio vocatus est. custodiat legem matrimonij. et qui in religione viuere custodiat regulam voti sui et sic de reliquis. que fideliter conseruata cauent omni proximo ab offensa. vnde. i. Cor. vij. Unusquisque in quo vocatus est in eo permaneat apud deum. Secundo studeamus viuere socialiter. ut omni proximo nos exhibeamus ad obsequium in caritate et fide non ficta conformantes nos in bono studijs singulorum. non ut eis placeamus sed ut eos in bonum trahamus. et ut cum eis pacem habeamus. Nam de primo di. apostolus. i. Cor. ix. Cum liber essem ex omnibus omnium me seruum feci: ut omnes lucrifacerem. et factus sum iudeis iudeus et his qui sub lege sunt tanquam sub lege essem. omnibus omnia factus sum ut omnes facerem saluos. de secundo autem di. bern. Sunt plurima que angelis sanctis in nobis placent et que in nobis inuenire delectant. ut est sobrietas castitas creber gemitus et orationes cum lacrimis. attramen super omnia hec unitatem et pacem a nobis exigunt angeli pacis ut nihil eque offendit et ad indignationem prouocat angelos quomodo faciunt dissensiones et scandala. **R**

Tercio sicut angeli humiliter incedamus inferiores nobis preferentes. equales uenerantes superioribus humiliter obediens omnibus nos postponentes. de his tribus scilicet ordinaliter socialiter humiliter dicit bern. Arbitror quod qui in congregatione esse bene uiuis si ordinaliter socialiter humiliter uiuis. Ordinaliter ut in omni conuersatione studeas sollicite obseruare vias tuas in conspectu dei et proximi. tibi cauens a peccato et proximo a scandalo. Socialiter ut studeas amari et amare portare infirmitates omnium a nemine portari. omnibus te exhiberi affabilem et tractabilem et obsequiosum et uirtuosum ad omnes ut oculi omnium sint in

te. demonstrantes te digito et dicentes. hic est fratrum amator et populi israel. Humiliter ut cum fecerimus omnia spiritum uanitatis exufflare studeamus. dicentes nos iuxta consilium domini seruos inuiles. quod debuimus fecimus nil addentes. hoc enim gratum est valde domino. et sicut grati sic tibi dicente bern. Magna et rara uirtus est. ut magna licet operantem magnum te nescias et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. hoc ego ipsis uirtutibus mirabilius iudico. et ideo talis humilitas que cum magnis operibus conseruatur mirabiliter placet deo et facillime impetrat cumulum gratiarum. dicit enim bern. In ueritate compi nil eque efficac ad gratiam promerendam conseruandam et recuperandam quam si omni tempore inueniaris non alium sapere sed timere. vnde iero. Nihil est quod nos ita deo et hominibus gratum faciat quam si uite merito magni et humilitate simus infirmi quia ut ait greg. perditur omne quod agitur si non humilitate custoditur. Quare uero membrum angelorum scilicet de exercicio quod supra se habent. quia sermo in longum ductus est. in sermonem alium referuimus loquentes tunc quod deus dedit.

LXXXVIII

De eodem sermo secundus.

Angeli eorum

semper vident faciem patris.

Mat. xvij. **L** Dicitur.

Angelorum est triplex funiculus quo de excelso celorum habitaculo ad consolandos uisitandos et adiuuandos nos attrahitur supereminens caritas angelorum scilicet propter deum. propter seiplos propter nos. Propter deum cuius tanta erga nos misericordia ipsi ut dignum est imitantur cupientes impleri eius quem ipsi supra se vident de nobis desiderium et uoluntatem. Propter nos in quibus propriam sollicitudinem miserantur. Propter seiplos quorum ordines instaurantur ex nobis tanto desiderio prestolantur. que cum ita sint pensate quanta nobis sollicitudine opus sit. ut dignos nos eorum presentia exhibeamus. In uerbis ergo pro

R 4